

F. K. 50. (23)

IV, 186<sup>a</sup>

Z. 6  
1504

X 2047337

PANEGYRICUS  
Supremis in Utroque Jure ho-  
noribus Octo Virorum Clarissimo-  
rum dictus

à  
M. FRIDERICO RAPPOLTO, PROF. PUBL.

Mense Martio

A. C.

MDCCCLVI.

LIPSIÆ.



PALEOGYRICHUS  
Museum in Göttingen  
von Dr. Victor Braun  
Verlag  
M. FRIDERICI RAPPOLO PROPR. PUBL.  
A. G.  
1861  
1861

THEMIDI. AUGUSTÆ.  
ET  
MEMORIÆ. AMPLISSIMI. HONORIS.  
SACRUM.

# VIRORUM.

NON. PLENO. TANTUM. ET. DIVÆ. HUIC. PROPRIO. NUMERO.  
SED. ET. ANTIQVITATE. GENEROSÆ. STIRPIS.  
ET. MAJOR. INLUSTRI. GLORIA.  
ET. SUA. SINGULARI. MODESTIA. AC. VIRTUTE.  
ET. HUMANIOR. LITERAR. ATQ. ERUDITIONIS.  
NON. PERVOLGATÆ. LAUDE.

ET. VITÆ. MORUMQ. INTEGRITATE. SUMMA.  
ET. OPINIONE. HOMINUM. MAXUMA.  
ET. QVO. UNO. DIVA. NUNC. TRIUMFAT.  
CONSUMMATA. CIVILIS. PARITER. AC. SACRI. JURIS. NOTITIA.  
PULCERRIMISQ. ÆQVI. BONIQ. ARTIBUS.  
AD. INVIDIAM. EXSPLENDESCENTIUM.

SIGESMUNDI. FINCKELTHUSI.

NICOLAI. CREUSELI.

ANDRÆ. BRUMMERI.

PHIL. ADOLPHI. WALTHERI.

JO. JACOBI. A. RYSSEL.

PAULI. HORNIGI.

SEBASTIANI. SCHUBARTI.

B. LEON. SCHVVENDORFERI.

ENODANDIS. IURIS. LAQVEIS.  
CONSILIIIS. IN. MEDIUM. DANDIS.  
STLITIBUS. COMONENDIS.

TUENDIS. VADIMONIO. OBSTRACTIS. CLIENTIBUS.  
AMBIGUIS. FATIS. CAUSARUM. DIRIMENDIS.  
GLORIOSÆ. VOCIS. MOLIMINE.  
LABORANTIUM. SPEI. VITÆ. POSTERIS. DEFENDENDIS.  
EGREGIO. POPLICO. RE. OPERA. PRUDENTIA. SERVANDO.  
NATORUM. FACTORUM.

BIS.

BIS. BINIS. BIS.  
COLUMNIS.  
QVOD. PRIMUM. NUNC. A. COMPOSITO. IN. GERMANIA. BELLO.  
SEMEL. IPSIS. ACADEMIÆ. INCUNABULIS.  
REDUX. POTUIT.  
EX. VOTO. SUSCEPTO.  
L. M. F.  
ET.  
SOLEMNIUM. VERBOR. NUNCVPATIONE.  
POSTEM. TENENS.  
TERTIO. DECIMO. KALENDAS. APRILEIS.  
AN. ÆR. C. cIo. Ioc. LVI.  
DEDIC.  
EXESE. VERO. HORRENDI. CARMINIS. LEGE.  
ET. PROCUL. FANO. IRE.  
JURIS. COCTORES. LITIUM. DEPECTORES.  
TRICOSOS. BOVINATORES.  
ORE. IMPROBOS. DURO.  
BONOR. EXTORTORES. LEGUM. CONTORTORES.  
COMITIALES. MEROS.  
QVI. SI. NIHIL. EST. LITIUM. LITES. SERUNT.  
FORI. TINTINNABULA. SCORTA. POPLICA.  
SINE. QVEIS. OLIMS. SATIS. FELICES. FUERUNT.  
FUTURÆQ. SUNT. URBES.  
CATONIO. QVAM. DONO. DIGNIORES.  
PRÆCIAMETATORIS. VOCE.  
IUSIT. EDIXIT.  
COLLEGII. ANTECESOR. ET. IUSTITIÆ.  
SACERDOTUM. VICEM. FUNGENS.  
GERMANA. SOROR.  
PAX.  
EXSUNTO. PROFESTUM. VULGUS. EXSUNTO.  
VILISIMA. CAPITA. FORENSIA. PECORA.  
TOGATI. VULTURES.  
NEQ. LIMEN. HOC. UNQVAM. ATTINGUNTO.

Priscus



**R**iscus ab integro doctorum nascitur ordo,  
 Et juvenes renovatus honos majoribus æ-  
 quat:

Ebria Sarrano jam vestis fulgurat ostro,  
 Eunomiesqve manu proceres legumq; potentes  
 Purpureos sumunt habitus, cinctumqve Gabinum.  
 Jam caput octonis solito formosior ambit  
 Infula tincta Viris: atqve effulgentia latè  
 Terga Quirinalis trabea integit, & grave vellus,  
 Qvod par Phryxéo raperes Pagasæa juvenus  
 Cyaneos æstûs per & in via saxa fretumqve.  
 Jam lautos pueros leges Junonis alumna,  
 Et decus & proprium ætati largita vigorem,  
 Ludere, & auratos pompæ per compita fasces  
 Antetulisse jubet. Aperit jam festior annum  
 Atqve oritur cum luce nova, cum mollibus astris,  
 Clarior ipse nitens, matrisqve superbior aurâ  
 Mens Acidaliæ, confinia proxima Lunæ  
 Temnit, & infani jam non vult Martis haberi.  
 Non alios tenera nascentis origine mundi  
 Crediderim fulsisse dies, cum cæde madentem  
 Nondum Virgo pudens Pietasqve reliquerat or-  
 Et grave vix natus jus balbutiret alumnus, (bem,  
 Grandior exprimeret. Dedit hoc primordia rebus  
 Vergeniale novis & casto semina mundo,  
 Improbitalas nisi tempus iners turbasset, & ætas  
 Decolor ac primi decoctrix prava metalli

Exiguo fas atqve nefas discrimine haberi  
Jussit, & innocuum scelus importasset in ævum.  
Exultent leges Latiae, gaudete curules,  
Et pavidis exosa reis prætoria, tuqve  
Curia præsidio jam non moestissima tanto  
Pone truces vultus, teqve exhilaratior effer.  
Vosqve ad Agenoridae trepidi sancita clientes,  
Cæditiique minas & quas movet Æacus urnas,  
Quæ vos cunqve tenent donandæ hoc munere ter-  
Quæ sistenda tenent vadimonia, sive feroci (ræ,  
Ore lacesierit, seu vos Injuria factò  
Efferat, & in sanctos inflammatis sima mores,  
Abjicitote metus, tristemqve exporgite frontem.  
At Philure gemino jactantior æthera pulset  
Nostra sono, plusqve ante alias caput efferat urbes,  
Et sibi præcipuum tanti splendoris honorem  
Vendicet atqve decus, vel nutrix blanda vel altrix  
Formatrixqve virum, atqve animi morumqve ma-  
Jam voti damnata sui, jam indepta laborum (gistra,  
Optandum pretium. Consumta est fabula parvis  
Cantata Ascaniis, cum sese mollior ætas  
Exemplis incensa patrum, vel rebus avorum  
Egregiis excita, suos animaret in ortus, (lem,  
Atqve animum ante annos gereret curamqve viri.  
Ardua anhela petens, spe præludente parentum,  
Et dibaphos aptante humeris apicesqve capillis  
Non vano augurio, nec deficientibus annis:  
Et promissa diu nunc cernunt oscula cives.  
Ipsa sed immensi reparatrix maxima mundi  
Alma Themis, moestos jam non subtristis ut antè.

At.

Attollit vultus, & post squalentia musco  
Limina, post vacuas stantesque sine ignibus aras,  
Quas mala proluvies belli & cataracta nefandus  
Deucalionæâ pluviam atque ultricibus undis  
Haut minor, & simili loca foedans omnia limo;  
Liquerat incultas, Mysio miratur in orbe  
Eductam caelo molem postesque superbos: (Iunonis,  
Templum augustum, ingens, totidemque infigne co-  
Quot Catana, ardenti nimium vicina Typhæo,  
Fatidico posuit famæ monumenta perennis  
Tifis, opus mirum, & numero spectabile ab uno.  
Vestibulum ante ipsum primoque in limine lances  
Apparent geminæ, justoque examine libræ  
Fasque Nefasque suis herciscunt sedibus: illâ  
Et lauri & fasces, factorum præmia; at istâ  
Cernitur ensis atrox, Phlegyæque miserrima imago,  
Et centum cunei, tortique Ixionis angves,  
Immanisque rota, & non exsuperabile saxum.  
At Parii ingressam lapides, spirantia signa,  
Delectant, solido & surgentes ære columnæ,  
Atque auro gravidæ pictæque coloribus aræ.  
Dumque ita sede nova gaudet structamque forori  
Imputat Irenæ, visumque per omnia versat,  
Hic FINCKELTHUSIÆ clarissima nominis agentis  
Marmore sculpta videt, veteresque agnoscit amores,  
Seque ipsam in nato. Sic namque per infima ad istos  
Grassari juvenem jus fasque putabat honores.  
Primos casta dedit Sophie, dedit alta secundos  
Curia, sed lentis ducens ad summa quadrigis,  
Et scriptum Ausonio fecisse, haut more Pelasgo,

Ac calamo excepisse prius, quàm condere leges  
Atque edicta jubens, orbisq̄ve præesse pusillis.  
Nunc puteal tenet, & causas ac crimina discit,  
Castigatq̄ve, auditq̄ve dolos, subigitq̄ve fateri,  
Majestate potens, veri incorruptus amator,  
In fontes rigidus, nulla exorabilis arte,  
Nullo flexibilis palpo, gravis, omnibus idem,  
Omnia justitiæ similis vocemq̄ve manusq̄ve  
Atque acres oculos, formidandamq̄ve securim:  
Sive quis alterius nudato struxerit ense  
Insidias jugulo, seu furto nocte silenti  
Compilarit opes, seu famam læserit ore,  
Sive aliud brevibus Gyaris & carcere dignum  
Tentarit facinus. Vidit Lusatia, vidit,  
Nobile in Ensiferi positum ditio tribunal,  
Quid possit magno virtus emissa teatro,  
Quàm propè contingat famę monumenta paternę  
Filius, & similes animo exardescat in ausus.  
Non procul hinc aliã cernit progressa columnã  
Artifici radiare manu cæloq̄ve polita  
Nomina CREUSELII, & dextro res Hercule gestas,  
Lætitiæ argumenta novæ fortisq̄ve futuræ  
Haut tenue indicium. Teneros nam suspicit annos  
Immersos studiis, indefessamq̄ve juventam,  
Socraticas inter curas doctumq̄ve Lyceum, (rum,  
Et laurum geminam, & laudum instrumenta sua.  
Pontificum tabulas, immensa volumina legum  
Emensa, & quicquid chartis in signe verendis  
Induperator habet bardiq̄ve scientia Baldi,  
Defensosq̄ve reos. Sed summo margine scriptos  
Inve-



Invenit æternâ mañtandos laude Patronos,  
Berlichios studii autores, mitesqve Severos,  
Qvorum nulla dies benefacta filebit in ævum.  
Nectua se condi patitur clarissima Virtus,  
BRUMMERE, Ô castæ decus immortale Themistos:  
Emicat, & Divæ cupidos invitat ocellos,  
Ut Phoebi medio nitidum jubar æthere fulget,  
Et, radios quæqva versum jacet, obvia stringit:  
Seqve legi poscit, quæqvam nec postulet omnis,  
Nec queat ipsa legi, campo gavisa patenti  
Semper & angustis includi nescia clathris.  
Longa mora est vario terras sub Sole calentes  
Noscere, & Hesperium Eoo junxisse cubile:  
Sarmatiæ visos populos gentemqve Batavam,  
Et regum toto cantatos orbe Britannos  
Infando excidio, Gallosqve his foedere junctos,  
Helvetiosqve & quas colit acer Rauracus oras;  
Bis denos ludos, & perreptata Lyceis  
Addita quæqve suis Musarum æraria, & illud  
Aureliæ egregia Germanæ pubis in urbe  
Lene datum regimen. Differt hæc Diva tueri,  
Et repetenda suæ servat festina quieti,  
His contenta bonis, regnis quæ certa struendis  
Fulcimenta videt fessisqve levamina rebus:  
Non immaturam pepulisse in Rostra juventam,  
Et cruda in cathedras studia, omnem mente mathe-  
Exhaustisse prius, Sophicasqve oluisse lucernas, (sin  
Quàm Legum tentasse vias Jurisqve reperta,  
Causarumq; ratem fragilem immisisse profundo:  
Et quæ plura oculis quæqva properantibus haurit,

Plura sibi superare videns, nec paupere acerra  
Deucaliona aliquem tetigisse aspergine postes.  
Nam, quæ istam sequitur, WALTERO sacra colu-  
Ostentans simili tractatas ordine leges, (mna est,  
Et digesta suis momentis singula & annis.  
Primus ab augusto dat Cæsare nomen alumno,  
Alter ab edictis: tum Papiniane sequentem  
Signas, atque Lytam post te Prolytamque relinquis,  
Qui queat Herculeos jam legum solvere nodos,  
Et causas orare graves, ac iudicis urnâ  
Attonitos texisse reos, pressosque levare,  
Non suspecta loquens, non verba bilingvia, ut olim  
Mangones capitum fortunarumque, togati  
Vulturii, quibus os & frons est ferrea, promptus  
Ad fraudes varias animus litesque ferendas:  
Quorum forte levis nares afflaverit aura  
Marfupii, nullus pietati, nullus honesto  
Est locus, & tabulas contra testesque vel ipse  
Jupiter atque lapis jurantur Styxque refusa.  
Nullum horum in sancto dea cernit nomine, nullum  
Invenit in pila scriptum; verum omnia cocco  
Digna, & firmandis deinceps aptissima rebus,  
Si qua Fata volent hæc munera propria terris  
Efficere, & solidam Divæ conjungere Pacem.  
Visere & ad reliquas tendit. Sed quis me aluctus  
Gaudia, quis pullus turbat color, inquit, & istam  
Sindone tam pulcram potuit velare columnam?  
Aut latet hoc aliquid forsan sub tegmine? Castas  
Admovet ergo manus leviter, veloque levato  
RYSSELI præclara sui facta atque labores

Cedro

Cedro scripta videt, gaudetqve hilarata repertis.  
Namqve olim stabili cum nondum sede recepta  
Stagna per & terras erraret pulsa Gradivo,  
Cum juvene externas pariter comes ivit in oras,  
Occultisqve egit stimulis tentare Batavos,  
Et cum Salmasiis, cum Vinnis atqve Schotanis  
Heinfiadisqve graves audire & reddere voces.  
Trajicere ad Gallos, & decantata locorum  
Nomina Parisios, vel quas Liger alluit urbes  
Salmurium, Aureliam cognosse. Itala petisse,  
Et quantum à veteri nova distet Roma, quid undis  
Imperet Adriacis, prisca quæ gloria Sæpe,  
Parthenope nomen quid mutet, discere, & artes  
Mirari varias hominum moresqve politos,  
Juraqve ad exactam diversa expendere lancem  
Ingenii, quid quæqve suis servata colonis  
Profint, quid noceant neglecta aut spreta superbis.  
Nunc juvenem patriis lætatur sistere in agris,  
Et Philuræ servare decus. Ter quippe quaterqve  
Conjicit in notas virtutes lumina, & o si  
Depositis liceat lugubribus ista videre,  
Inquit, & abjecto florentem cernere panno!  
Vellet & illa oculis, arcu quæ sculpta propinquo  
Heu fato simili vicina obtexerat umbra,  
Exposita esse magis. Nunc conscia sola decorem  
Æstimat HORNIGII, tacitoqve, modestus ut ipse  
Percenset studio, quavis molles finxerit annos, (est,  
Quæ puerum ingenii vis ad sublimia tantum  
Duxerit, & simili incensos ardore sodales  
Non parvo impulerit spatio liquisse: quid ævo

Pu-

Pubere non unâ pulcherrima tempora lauru  
Cinxerit, & magnos maturè armârit in ausus:  
Quantus ad antiquas pariter pariterq̄ve recentes  
Inflammarit amor tabulas, seu tinxerit illas  
Sanguine fortè Draco, seu mitior urna Solonis  
Ediderit, seu Roma potens volventibus annis  
Auxerit, & fixo populo præscripserit ære;  
Seu Lacedæmonio non scriptum addiscere ritu  
Jus aliquod verum fuerit. Sed & illa, nigranti  
Peplo immerfa, animo secum tacitissima volvit,  
Quæ Labeo doctis aliquis concredita chartis,  
Aut rigidæ Lugduni aræ, vel Tarpa, vel ipse  
Gellius, Aonia cenfor non futilis arte,  
Ipse vel & Livor, rumpantur ut exta, probârit:  
Quæq̄ve aut discentum calami excepere volantes,  
Aut affecta forum vidit, rigidumq̄ve tribunal  
Patris ad exemplum magnum spirare Patronum,  
Vel magno dignum promittere Principe Consum.  
Sic cum Nox fuscis tellurem amplectitur alis,  
Aut trepido germana soror fratrem invidet orbi,  
Ereptum ex oculis versamus pectore Solem,  
Reddendiq̄ve iterum jubaris spe damna levamus  
Interea. Et juvenem suus olim nempè manebit  
Splendor, & hæc mecum mirabitur alta Vetustas.  
Sic ait, & SCHUBARTE, tua virtute coruscam  
Vicinam rutilare videt spectate columnam,  
Et longè lateq̄ve novis se prodere signis.  
Gaudet, & hoc omnem consumsit sedulus artem  
Marmore Praxiteles, inquit. Capitolia majus  
Ecquid habent Jovis, aut Coi sacraria templi,  
Aut

Aut Cnidus Idaliæ Veneri sacra, aut Paphus alta?  
Nec Satyrum incendi trepidosq; Cupidinis arcus  
Jam tolli metuat: Manet æternumq;ve manebit.  
Artis in hac tantæ laus: & prius ipsa beatas  
Pulsa solo repetam sedes atq;ve eximar ævo,  
Nullaq;ve Carpzovios auratis fama q;vadrigis  
Alta per astra vehet, nec Wirthi gloria firmo  
Amplius incedet talo, Strauchi q;ve labascet.  
Immortalis honos, q;vorum ille in defide cura  
Sectatus studium est; q;vàm dentem huc inferat etas,  
Et pereat nostro suspensum hoc indice honori  
Grande Sophos juvenis, vastiq;ve scientia Juris  
Jam cathedris, jam nota foro, jam cognita presfis  
Sollicitisq;ve reis, nec privo in pariete tantum  
Nata, sibi sapiens, rosa q;ve inclusa papyro.  
Q;væ seq;vitur posito moles geniata colosso,  
Spem præter fortemq;ve deæ fabrefacta priorem,  
Lassum opere ingenti Steropem Brontemq;ve reli-  
Aut de Palladia laq;ve aria ad ardua dextra (q;vit,  
Tam pulchrè enituit. Stat Diva, & singula visu  
Explorans, Geniumne loci magnumq; Parentem,  
An natum haut tardis vestigia pressa seq;ventem  
Gresibus & promptum miretur ad omnia pectus,  
Ambigit. Ille deæ renovat sublimis honores,  
Et sacra arbitriis hæc ordinat omnia justis:  
Hic annos prægressus avum patremq;ve minatur,  
Et simili fulget jam dum maectatus abollâ  
Par celso ingenio & generosi pectoris igne,  
Par gravibus curis, & casti laudibus Æq;vi,  
Q;vod colitas fiduè. Talem illum protinus anni  
Forma.

Formavere rudes, & dignum haut molle tiarâ  
Ostentavit iter: viridi spectata juvena  
Canities animi est, admirandumque loqvendi  
Pondus, & attonitas sermo qui duceret aures  
Primum, mox rigidâ ferret suffragia sellâ  
Permistus senibus. Tum vocem in verba resolvens  
Salvè, ait, ô spes una tuæ certissima gentis, (umqve  
Et firmum columen SCHVVENDENDORFERE, me-  
Cum Patre post lituos mecumqve hoc affere re-  
Et longè proferre juva. Sic ille superstes (gnum,  
Nobis, sic illi maneat dilecte superstes,  
Et, quos alma tibi formâ confisa Dione  
Destinat, his videas aris dare thura nepotes,  
Et sua, bis bina hæc inter bis marmora, quæ gens  
Propria Justitiæ Samio prognata Parente  
Dicere nil dubitet, factis junxisse priorum.  
Sic ait, ostensas & se convertit ad aras  
Vittato capite & longa cum veste sacerdos,  
Atque ita submissâ jam non dea voce precatur:  
Mite fave cœptis Numen, Themidiqve reversæ  
Propria composito post tot discrimina bello  
Esse hæc templa jube, dumqve huc se vertit & illuc  
Hactenus, & certâ nondum dea sede quiescit,  
Nondum omni patiente jugum nodosq; Gradivo,  
Certam hanc esse velis. Cœlo soror alma recepta est  
Astræa, octonos & tecum despicit orbes:  
Has inter liceat totidem illi degere pilas  
Diviso imperio. Juri huc assveta juvenus  
Verbenas, huc dulce merum dotesque Sabæas  
Afferat & simili posthac se sorte propaget,

Ut.

Ut proles prior illa, lapis post terga rejectus  
Ponere duritiem cum cœpit & ossa rigorem,  
Lene genus, gratumq̄ve deæ. Hinc quisquis iniqua  
Ate læsus opem poscit, vel virus atrocis  
Invidiæ contrà, diræq̄ve tonitrua lingvæ,  
Auxilium, aut fractis q̄værit solatia rebus,  
Et robur dubiis, vel plenas ære Kalendas  
Cum vidit, steriles Idus & nomina sentit,  
Arbitrium omne ferat, nec surdæ supplicet auri,  
Sed melius certumq; magis, quàm Pythia Delphis,  
Plena deo mulier seffore, antrove Sibylla  
Edidit, augustis responsum his audiat aris.  
Nulla arcus positos lædat Vis, nulla columnas  
Destruat annorum series, neq̄ve tecta trabesve  
Perpluat imber edax, aut impetuosior atro  
Turbine vexet hyems & verso cardine ventus.  
Duret opus, Siculis quantum non ducta caminis  
Moles, aut Phariæ miracula cognita terræ,  
Perfectumq̄ve suis numeris octo omnia servet,  
Dum Romana dies, dum mensis curret & annus,  
Et sua Justitiæ laus intemerata vigebit  
Intactæq̄ve decor Fidei, nec perdita Justum  
In chaos antiquum merget Versutia & Æqvum.  
Dixerat, & medio templo mansura resedit.

---

L I P S I Æ,

LITERIS. FRIDERICI. LANCKISII. IMPRIMEBAT.  
CHRISTOPHORUS. CELLARIUS.

IA-1504. FR.

Faint, mirrored text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through. The text is largely illegible due to its orientation and fading.

CHRISTOPHORUS CELLARIUS  
LITERIS FRIDERICI LAUCKII IMPRIMEBAT  
LIPSIÆ

1504

1504





F. K. 50. (23)

IV, 186<sup>a</sup>

Zb  
1504

X 2047337

# PANEGYRICUS Supremis in Utroque Jure ho- noribus Octo Virorum Clarissimo- rum dictus

à  
M. FRIDERICO RAPPOLTO, PROF. PUBL.

Mense Martio

A. C.

clō loē LVI.  
LIPSIÆ.



4

